



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Brevis Expositio Propositionum Damnatarum**

**Didacus <ab Aragonia>**

**Venetiis, 1728**

Libri Prohibiti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42653**



ad culpam Theologicam non obligare, nisi aliud legislator exprimat, vel nisi aecedat legislatoris contemptus, aliorum scandalum, aut perturbatio Reipublice, vel detrimentum; legem verò pœnalem mixtam juxta materię gravitatem obligare sub culpa, sub qua etiam obligaret, licet nulla pœna apponeretur temporalis, quæ quidem adjicitur ad ejus obligationem confirmandam.

### LIBRI PROHIBITI.

395. **Q**Uæritur. An libri prohibiti donec expurgentur possint retineri, usque dū adhibita diligentia corrigantur?

Resp. Quod libri Hæreticorum hæresim continentēs, vel de Religione tractantes in Bulla Cœnæ prohibentur absolutè sub excommunicatione Papæ reservata; contra verò alii libri passim prohiberi solent sub hac clausula, donec corrigantur, cum hæc tamen discrimine, quòd libri Hæresiarcarum qui de Religione nō tractant, nec continent hæresim, nec non libri catholicorum, qui ob suspicionem hæresis, vel falsi dogmatis damnantur, solum prohibentur sub excommunicatione lata non reservata, ut habetur in *regula Indicis* 10. libri verò alio titulo prohibiti, puta ob obscœnitates, ad vitandas offensiones, & scandala &c. quibus non est annexa censura, solum sub mortali interdiciuntur, ut habetur in dicta *Regula* 10. de his itaque libris, qui prohibentur, donec corrigantur, docuerunt nonnulli retineri posse, donec opportune correctio sequeretur, si videlicet nullum esset periculum subversionis, nec scandalum, aut aliud malum subsequeretur; quo-



quorum sententia expressè est damnata ab Alexandr. VII cum propos. 45. ratio est, quia talis retentio absolute prohibetur à Sum. Pontifice sub mortali, ut constat ex dicta Regula 10. ne quis habeat a quod se libros quovis titulo interdictos, ergo nisi exisset à mortali parvitas temporis, v. g. si post unum, aut alterum diem Inquisitoribus deferantur, retineri nullatenus possunt prætextu expurgationis faciendæ, nec à nescientibus legere, vel non intelligentibus ea, quæ leguntur, neque etiam cessante periculo perversionis propriæ, vel alienæ; tum quia vertibilitas voluntatis mutari facile potest; tum etiam quia finis adæquatus prohibitionis non est solum illud periculum, sed etiam pœna auctoris, quæ simul absterreat, & simul coerceat alios à similibus libris edendis, cum videant eos omnino flammis addicendos; est etiam finis prohibitionis, ut partes conformentur toti, & ne tales libri conserventur, sed destruantur.

396. Quæritur. An viris doctis, qui sine periculo libros prohibitos legere possunt, licita sit eorum retentio, ac lectio ad errores confutandos?

Resp. Negativè, nisi accedat facultas à Sacra Congreg. ratio est, quia quamvis in hoc casu cesset in iis periculum perversionis, at non cessat pro tota communitate tale periculum, quod solet ut plurimum intervenire, & est unus ex finibus talis prohibitionis: verum quidem est, quòd si cesset aliquando finis legis contrariæ, ita scilicet, ut observantia legis hic, & nunc cedat potius in damnum, quàm in bonum commune, tunc lex non obliget, & licet non



inferat damnum bono communi, impediatur tamen bonum commune tunc datur locus epichejæ, ut si quis indigeat lectione librorum prohibitorum ad confutandum errorem aliquem, nec possit facile facultas obtineri, aut expectari.

397. Quæritur. An peccet qui libros prohibitos non typis impressos, sed manuscriptos retinet, ac legit?

Resp. Affirmativè, tum quia aliter facile eluderetur lex de libris hæreticorum non legendis, si illis transcriberentur, tum etiam quia liber manuscriptus in communi acceptione est verè liber, & de materiali se habet, quod sit impressus, aut manu exaratus.

398. Quæritur. Quinam libri dicantur tractare de Religione, vel hæresim continere?

Resp. Hæresim continent, qui aliquid docent contra aliquem articulum fidei; ver. g. septem non esse Sacramenta; sub speciebus panis, & vini non esse corpus, & sanguinem Christi &c. de Religione tractant, qui de his agunt, quæ ad fidei expositionem spectant, in quibus divina scriptura, aut aliqua pars illius explicatur, aut qui tractant de Theologia scholastica, vel Morali, de cultu Dei, & sanctis debito, de sacris ritibus, de Clericis, Monachis, & Prælatibus de visibili, & invisibili Ecclesia; hæc omnia ad Religionem Catholicam spectant.

399. Quæritur. Qua pœna ligetur, qui legit, vel retinet hæreticorum libros, hæresim continentes, vel de Religione tractantes?

Resp. Ligatur excommunicatione in Bulla



la Cœnæ Papæ reservata; quatuor tamen conditiones requiruntur ad eam incurrendam, 1. ut libri sint hæreticorum, 2. ut hæresim contineant, vel de Religione tractent, 3. ut scienter legantur, retineantur, vel imprimantur, hoc est cum notitia, quod sint tales, 4. ut fiat sine licentia Sedis Apostolicæ, vel à deputatis ab ipsa.

400. Quæritur. An requiratur, quod Auctor sit damnatus?

Resp. Negativè, sed fat est, ut sit hæreticus, sive damnatus, sive non, nam de hæretico non damnato, nec notorio, vere dicitur, quod sit hæreticus.

401. Quæritur. An Confessarius ordinarius absolvere possit legentes, vel retinentes libros hæreticorum hæresim continentes, vel de Religione tractantes?

Resp. Non posse ratio est, quia excommunicatione Bullæ Cœnæ ligantur, a qua solus Summus Pontifex, vel alius de ipsius auctoritate absolvere possunt; debet tamen injungere, ut libros Inquisitoribus deferant, quia nunquam absolvi debet, nisi realiter, & cum effectu eis, & in eorum defectum, ordinario, libros consignaverint; item debet interrogare pœnitentes, An sciant aliquos legere, vel retinere, etiam in alienis domibus dictos libros, & dum affirmant, eis ante absolutionem præcipiat, ut Inquisitoribus eos intra mensem denuncient, eo modo, quo dictum fuit *resolut.* 195. deinde inquirat à quanto tempore apud se libros habeant, quoties legerint, & an aliquibus commodaverint, postea aperiat gravitatem delicti, quod peccaverint mortaliter contra obedientiam Ecclesiæ debitam, & contra fidem propter



periculum, cui se exposuerunt illam perdendi; ipsos excitet ad eliciendos actus fidei divinæ, &c. & tunc, si habeat facultatem, absolvat.

402. Quæritur. Quomodo se gerere debeat Confessarius cum legente, vel retinente libros in iudice prohibitos continentes res lascivas, superstitiones &c.

Resp. Debet interrogare, an tales libri fuerint auctoris heretici heresim continentes, vel de Religione tractantes; vel an quando legerit, habuerit errorem in intellectu, credendo non esse in Ecclesia auctoritatem prohibendi, & damnandi libros, nec posse eos damnare, nam tunc erit formaliter hæreticus, & innodatus excommunicatione in Bulla Cœnæ; si sine errore legerit, interroget ut supra, an scilicet sciat aliquos legere, retinere &c. & an occasione eorum carnaliter peccaverit, quoties, quomodo, & cum quibus &c. postea injungat, ut libros, Inquisitoribus, vel locorum ordinariis deferat, antequam absolvatur, si fieri possit.

#### MISSÆ AUDITIO.

403. **Q**uæritur. An satisfaciat præcepto Ecclesiæ de Missa audienda, qui duas ejus partes, immò quatuor simul à diversis celebrantibus audit?

Resp. Negative, ratio est, quia Ecclesia obligat ad audiendam Missam, quæ sit unum, & integrum sacrificium, non censetur autem unum sacrificium, simul una medietas audietur ab uno, altera ab altero Sacerdote, & quamvis transmittatur, quod præcepto satisfiat, si successivè a diversis Cele-